

Nc
480

D E

9642.

**REBUS GESTIS ARABUM
ANTE CRISTUM NATUM.**

**DISSERTATIO
INAUGURALIS**

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE
ORDINIS AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICA GUILELMA

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

D. II. M. JANUARII A. MDCCCXXXV.

IN AUDITORIO MAXIMO

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JOANNES SEEMANN

BORUSSUS.

Aus

GILDEMEISTER'S

Vermächtniss.

OPPONENTIBUS:

ADOLPHO SCHMIDT, PHIL. DR.

FERDINANDO WEILAND, PHIL. DR.

GUSTAVO BOECKII, PHIL. CAND.

DINE 480

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

LEHRER DER
CHRISTIANA
KUNST

CHRISTIANA KUNST

STUDIENBAND

WANDELN IN DER KUNST

AUS

CHRISTIANA KUNST

GLIDEMERSTERS

GLIDEMERSTERS

BRONZE

VIRIS
ORNATISSIMIS AC ILLUSTRISSIMIS
LUD. NICOLOVIUS
ET
HENR. SCHMEDDING

**HUNC LIBELLUM,
GRATI ANIMI DOCUMENTUM,
QUA CONVENIT OBSERVANTIA**

TE

HEINR: SCHIEDECK

D. D. D.

AUCTOR.



de sollicitate abducendo uterque be omnia som
ant et illi amicis etiam non poteretur hunc' diuini
inimico' illorum' manu' tunc' mactu' nos' mebas
enim' est' obstatu' esse'. (1) fortius
nos' hi' nob' ridentes' multa' nunti' h'c' be' omnes
etibus' unde' mactu' omnia' obvias' tu
tum' e'p'p' mactu' h'c' be' omnis' nunti' s' obui
-do'g' amicis' t'c' mactu' mactu' mactu'

Arabes quantum, armis prospere cedentibus, ad
commutanda multarum terrarum instituta contule-
rint, quanta cura iidem tum, cum litterae apud re-
liquos populos in cultae jacebant, disciplinas cun-
ctas complexi sint, nemo est, qui nesciat. Nihilo-
minus primordia historiae eorum semper tam levia
esse visa sunt, ut omissis, quae apud veteres hic
illuc disjectae inveniuntur, de iis enarrationibus,
quaestionis, quid veteres de inde, moribus et re-
bus gestis Arabum tradiderint, num ille populus
per totius historiae decursum semper sibi consti-
rit, parum rationem habitam esse confitendum sit.
Quod eo magis est dolendum, quo frequentiores vi-
ros doctissimos in illam sententiam abeentes vide-
mus, Arabiam plures Niebuhrii, Burckhardtii-
que similes desiderare, priusquam, qua veteres il-
lius terrae incolarumque notitia imbuti erant, eadem
nos quoque exornatos esse, gloriari poterimus. Hinc
consilium, veterum de Arabum rebus gestis relata
colligendi et digerendi, mihi obortum est. Praeter-
terquam, quod ignotissima quaeque mentes nostras
mire quam allicere valent, illud quoque non mini-

mos animo ad proposita exsequenda stimulos admovit, quod praceptor meus clarissimus **Ritterus** eandem rem dignam habuit quam ingenii acumini submitteret (1). Haec commentatio res Arabicas usque ad Christum natum continebit, dum id ago ut secundo specimine, quaenam Arabum conditio inde a Christo nato ad Mohamedum usque fuerit, exponam, praesertim cum vir doctissimus, **Boeckhius** inscriptiones Bostricas perfacili animo adhibendas mihi obtulerit. Quodsi obtainuero, ut historiae geographiaeque veteris studiosis aliquid suppeditem, quo in quaestionibus suis vel aliqua ex parte sublevari possint, tirocinii nunc depositi haud me poenitebit.

Utri terrarum parti peninsula Arabica in confinio Africae Asiaeque sita adnumeranda sit, haud facile dijudicatu est. Ora triplex, sinus ad intimam terram usqne progredientes, insulae passim dispersae Arabiam a vasta illa mole, quam omnes Africæ regiones pree se ferunt, longissime removent et Plinio jam terrae forma Italiae instar expressa esse visa est (2). Neque vero cum peninsula Indica

(1) Abhandlungen der Berliner Akademie. Jahrgang 1824.

(2) Hist. natur. VI. 28. „Ipsa vero peninsula Arabia inter duo maria Rubrum Persicumque procurrens quodam naturae artificio ad similitudinem atque magnitudinem (?) Italiae mari circumfusa, in eandem etiam coeli partem nulla differentia spectat.“

aquosa Arabia, si imbræ tropicos rivulosque aut arena aut mari vicino absorptos exceperis, sitiens apte conferri potest. Arabiam Africam minorem optimo nostro jure dicere possumus, quia miram quandam similitudinem inter imaginem Africae et effigiem Arabiae cuneatim in mare procurrentis conspicimus. Peninsulae Italicae septentrionalis pars populis peregrinis semper patebat et Celtas Pelasgis commixtos linguam vernaculam mutavisse, opinio est, cui viri doctissimi omnes ad unum, opinor, hodie assentuntur. Orphei Pieridumque nomina nos adducunt, ut statuamus, superiores Graeciae incolas antiquitus ad majorem disciplinae, quantulacunque fuit, gradum proiectos plurimum ad animos omnium Graecorum leniendos contulisse. Simile quid etiam in Indica peninsula animadvertisimus, ubi migratio populorum a septentrione ad meridiem facta esse videtur (3). Aliter autem peninsula Arabica se habet. Montes, quorum cacumina satis edita neque arboribus neque pabulo laeto obsita sunt, continuo jugo a sinu Arabico usque ad Persicum porrecti septentrionem versus planicie illa invia, cui desertae nomen inditum est, excipiuntur et Arabiam felicem ab irruentibus populis satis defensam ad insulae rationem a reliquis secernunt terris. Hinc factum est, ut Arabiae populi ex australibus peninsulae partibus ad septentrionem migraverint, id quod Arabiam Italicae, Graecae et Indi-

(3) Heerens Ideen I. Th. 2te Abth. pag. 254.

4

cae peninsulae opponit. Herodotus (4) apud Phoenices, inter quos Arabesque maxima haud dubie morum linguaeque similitudo intercedebat, famam satis vulgatam esse narrat, se maris Erythraei accolas olim fuisse. Similem sententiam de Phoenicum originibus Strabo Justinusque proferunt (5). Arabes meridionalem terrae suae partem primo incultam ibique regnum esse conditum, credidisse ex Abulfeda (6) cognoscimus. Si vero Arabes fines suos a mari Erythraeo, id quod reliqua disputatione magis evictum iri, arbitror, protulerunt, Arabia idem quod Aegyptus confinis perpessa est. Quis enim nescit, inter veteres scriptores convenire, populos Aethiopicos Nili cursum secutos primo Thebas tum Memphin condidisse? Hoc quoque modo peninsula Arabica ad Africam pertinuerit. Quamvis Arabum patriam in ora maris Erythraei Persicique posuerimus, nagari tamen non potest, vetustissimis jam temporibus multas hujus gentis expeditiones, quae septentrionem spectaverint, factas esse.

(4) VII. 89. Οὗτοι δέ οἱ Φοίνικες τὸ παλαιόν ὄχεον, ὡς αὐτοὶ λέγουσι, ἐπὶ τῇ Ἐρυθρῇ θαλάσσῃ. Hoc loco autem mare Erythraeum mare Indicum est, ut I. 202. II. 11. 102. III. 93. VII. 80.

(5) Strabo edit. Koray. 766. 784. Justin. XVIII. 3.

(6) Historia anteislamitica edit. Fleischer. pag. 115. „Ex libro Ibn Sadai discimus, primum in El Jemen migrasse sedemque ibi constituisse post linguarum confusionem et filiorum Noachi dispersionem Kahtanum (cf. Genesis X. 26. Mannert Geographie der Griechen und Römer Tom. VI. pag. 6. ältere Ausgabe) filium Eberi. Kahtan hicce primus terram El Jemen regio nomine sibi subditam habuit primusque diademat ornatus est.“

Hinc linguarum, quas Semiticæ vocamus, explicari potest similitudo, etsi populi, prout agros montuosos oramve maritimam nacti sunt, prout indigenarum propria receperunt, tam novam sibi induerunt formam, ut affinitas cum Arabibus intercedens docto tantum perscrutatori appareat. Neque vero solum illis temporibus, de quibus nulla jam exstat memoria, Arabes mirum in modum agiles sedes suas relinquebant, sed etiam, postquam regna exorta sunt, postquam populi olim pollentes esse desierunt, Arabia incolas suos emittebat. Arabum fines longissime patere jam veteres tradiderunt. In monte Amano (7), in Mesopotamia (8) in Aegypto (9) Arabes inveniuntur. Gentibus his agricultura neglecta vagis alendisque gregibus deditis natura quasi insitum erat, mercaturam exercere. Tum accedit, quod Arabes vicini erant populorum, qui aut opibus et ditiis ut Indi et Aethiopes aut artibus ut Aegyptii et Babylonii summum ad splendorem elati sunt. Neque Persis (10) neque Aegyptiis (11) ad merces

(7) Plin. VI. 28. Plut. Pompej. c. 39.

(8) Xenoph. Anabes. I. 5, 1. Plin. VI. 26. Strabo XVI. 747. 749.

(9) Strabo XVII. 803. 815. 816.

(10) Strabo XV. 734. Ἀγορᾶς δὲ (Persae) οὐχ απτοταῖ, οὔτε γὰρ πωλοῦσιν, οὔτ' ἀνοῦνται.

(11) Heerens Ideen Tom. II. p. 705 seqq. Vellem, vir doctissimus totam Aegyptiorum mythologiam, quae maxima, quam potuit, eura agriculturam completabatur, respexisset. Praeter Herodotum (IV. 42), qui Phoenices, non autem Aegyptios Nephone auctore Africam circumnavigasse narrat et Diodor. I. 67, ubi de Psammeticho peregrinis Aegyptum recludenti agitur, Strabonis XVI. 803

permittandas proclivibus Arabes et consanguinei eorum Phoenices omnes finitimos visendi provinciam subierunt. Ab Arabibus solo arenoso calorique ferventissimo assuefactis omnes difficultates, quibus peregrini a terra eorum deterrebantur, facile superabantur, praesertim cum itinera noctu facta ad cursum stellarum dirigerent (12). Vias per deserta ducentes stationesque quotidianas Arabum jam a veteribus descriptas studiis Heerenii, Mannerti et Ritteri ad usum tabularum itinerariarum (*Wegecharten*) apud omnes gentes nomadicas jam multis saeculis ante Anaximandrum obviarum animum attendentis optime novimus. Num Arabes navibus quoque merces pretiosissimas invexerint, quaestio est difficillima et ante omnia, id quod Mannertus neglexit, singula historiae tempora distinguenda sunt. Quanta audacia gentes barbarae oras tantum legentes lintribus fragilibus utantur, omnes sciunt; aliud autem est cymbis praeter oras navigare rapinasque exercere, aliud justis navibus se alto committere. Nunquam Arabes Nabataeos mari rubro adjacentes ante Augusti tempora tantam navium vim sibi com-

815. 816 ratio habenda erat, referentis, terram inter Nilum et sinum Arabicum interacentem ab Arabibus obtineri, Coptique urbis incolas ex Arabibus Aegyptisque commixtos esse. Quare contendeo, omnia in Aegypto commercia a peregrinis facta esse, cum Phoenices Graecique mare, Arabes autem merces, quae terra importabantur, permittandas sibi poposcerint. Quis enim Aegyptiorum scaphas (Herod. II. 96) ad commercia potius quam ad usum quotidianum Nilo super ripas effuso retulerit?

(12) Diodor. II. 54. Plin. VI, 23. Sed quia major pars itineris confit noctibus propter aestus et stativis dies absumuntur.

parasse legimus, ut ea freti expeditiones maritimas suscipere potuerint. Mercatura imo terrestri contentis populi remoti, ut Indi Aethiopesque merces advexisse videntur portusque peregrinorum navibus magis recipiendis, quam suis subducendis inserviisse verisimile est. Cum autem Alexandria sub primis Ptolemaeis tantam operam commerciis navare inciperet, ut illuc omnes nautae confluarent, cum Alexandrinorum classes Strabonis temporibus monopoliis Augusti exornatae remotissimam ipsam Indianam peterent (13), Arabum mercatura terrestris sumum in discrimin pervenit, et scaphis quanquam exstructis damna resarcire nequeentes ad illam piratarum vitam, quam Strabo et Diodorus describunt, prolapsi sunt. Multum opinionem hanc adjuvant Strabonis singula tempora dirimentis verba (14). Οἰκοῦσι (Ναβαταῖοι) δὲ καὶ νήσους προκειμένας, οἱ πρότεροι μὲν καθ ἡσυχίαν τῆσαν, ὑστερον δὲ σχεδίαις ἐληξούσι τοὺς ἐκ τῆς Αἰγύπτου πλέοντας. Etiam Diodorus (15) temporum rationem habet: οἱ τὸ μὲν παλαιὸν ἐξῆγον δικαστούρη Χρώμενοι, ὑστερον δὲ ναυαγοῦσιν ἐπειδέντο καὶ ληστρικὰ σκάφη παρασκευάζοντες ἐλήστευσον τοὺς πλέοντας.

Bona pars Arabum septentrionalium, cum terra agrorum sterilitate incolas frequentes alere non valeret neque omnes in commercia exercenda incumbere possent, militando in exercitus vicinorum vitam sustentasse videtur. Nunquam autem terra

(13) Strabo II. 118. XVII. 798. Sucton. Aug. c. 98.

(14) XVI. 777.

(15) III. 43.

vel aliqua ex parte natura fautrice soli fertilitate praedita incolas emittere solet. Arcades pauperes apud veteres inopesque Helvetii recentioris aevi sat superque exemplo sunt.

Ubi mercatura, ibi libera quaedam instituta et Phoenicum Carthaginiensiumque regiam potestatem, si qua apud hos populos conspicitur, arctissimis finibus circumscriptam in illam licentiam dynastarum Persicorum non degenerasse, Heerenius docuit. Similia Strabo de Arabibus Nabataeis refert: Reges eorum populares et ὑπευθύνοι esse, vitamque regum aliquoties sub examen populi vocari (16). Tum rex eorum, ut e ratione Syllaei ad Obodam cognoscimus (17), non minime procuratoris (*ἐπιτρόπουν*) cui ἀδελφοῦ nomen erat (18), potestati subjectus fuisse videtur. Regnum apud populos Arabicae felicis non unius gentis hereditarium fuisse, sed postquam ad fratres defuncti regis transierit, illi obvenisse, qui primus post regem declaratum e gente optimatum, quaecunque fuit, natus fuerit, erui potest, si Strabonis verba (19) Διαδέχεται δὲ τὴν βασιλείαν οὐ καὶ παρὰ πατρὸς, ἀλλ᾽ ὃς ἂν πρώτος γεννηθῇ τινι τῶν ἐπιγανῶν καὶ μετὰ τὴν κατάστασιν τοῦ βασιλέως εἰ Ἀδελφοὶ τιμιώτεροι τῶν τέκνων καὶ κατὰ πρεσβυτερειαν βασιλεύουσιν οἱ ἐκ τοῦ γέ-

(16) XVI, 387, Οὗτοι δέ βασιλεὺς ἔστι δημοτικὸς, ὥστε πρός τῷ αὐτοδιακόνῳ καὶ ποτὲ αὐτιδιακόνον τοῖς ἄλλοις αὐτὸν γεννέσθαι. Πόλλακις δὲ καὶ ἐν τῷ δῆμῳ δίδωσιν εὐθύνας. Εσδότε δέ καὶ ἐξετάζεται. Infra de Strabonis Ἀραβικῶν fontibus sermo erit.

(17) Strabo XVI, Josephus Antiq. XVI, c. 8.

(18) Strabo XVI, 779.

(19) Strabo XVI, 768 et 783.

νούς καὶ ἀλλας ἀρχας ἀρχοντι conferuntur. Num ea res, quod fratres magis quam liberi respiciuntur, ad jus illud leviratus apud multos orientales populos usitatum (20) referri debeat, me peritiores consultioresque discernant!

Ceteroquin Nabataei a Strabone σωγόνες et εὐνομοι vocati melioribus legibus usi esse videntur, quam reliqui. Nam Sabaeis anxie regem suum custodientibus bona communia mulieresque communes erant (21). Omnibus autem Arabibus calliditatis ignaviaeque nota inusta erat (22).

His missis factis jam ad singulas Arabum res accedamus. Nae ille egregie falluntur, qui unius gentis historiam narratum iri putant. Nil nisi fragmenta nunc hujus modo illius Arabici populi, sive incursionibus vicinos vexavit, sive mercede conductus huic illive auxilio fuit, sive mercibus importatis foederibusque compositis finitimis innotuit, in unum colligentur. Ne scriptores quidem Arabici, quos adire mihi licuit, de hac historiae suae parte meliora nobis afferunt nisi genealogias, quarum maxima pars ex historia sacra profecta est (23). Incolis Arabiae felicis et Petreae diversas origines sub-

(20) Michaelis Mosaisches Recht. Tom. II. §. 98—100.

(21) Strabo XVI. 779. 783.

(22) Strabo XVI. 780. οὐδέ γὰρ γῆν κατὰ γῆν σφόδρα πολεμοταί εἰσιν etc. Justinus XXX. 5. Plutarchus Pompej. 67. Crassus 21 sqq. Servius ad Virgil. Georg. I. 57.

(23) Eichhorn monumenta antiquissimae historiae Arabum, pag. 1 et sqq.

jicit Genesis et liber primus Chronicorum (24), quam repugnantiam Abulfeda ita conciliat, ut hos in illorum regnum advenientes faciat (25).

Inter gentes, quibuscum Judaei in deserto circumrantes conflixerunt, nullam, id quod mirum est, invenimus, cuius nomen vel aliquo modo cum nominibus posterorum Ismaëlis i. e. Arabum Petraeorum cohaereat. Nonne autem commemorandum erat, Israëlitas cum Ismaëlitis (quicunque e duodecim tribubus erant) aut bellasse aut pactum fecisse, siquidem Nabataei, quas regiones postea ab iis occupatas videmus, jam tum temporis incoluissent? At Amalecitarum Edomitarumque mentio sit. Hi autem secundum genealogiam Mosaicam non posteri Ismaëlis, sed populi diversae originis sunt. Hinc adducor ut statuam, Edomitarum (inter quos Arabesque non major similitudo quam inter omnes gentes Semiticas erat) agros olim longius patuisse (26), cum omnem inter Judaeam et mare rubrum intercedentem terram compleverint (27). Postea autem Edomitas bellis Judaicis adtritos infractosque esse, unde factum sit, ut Nabataei patria meridionali relicta sedes eorum occupaverint, angustis tantum finibus septenttrionem versus indigenis concessis (28).

(24) Genesis X. 25 — 30. XXV. 12. I. Chronic. I. 19 — 23, 99 — 31.

(25) Abulfeda historia anteis. p. 190.

(26) Joseph. Antiqq. II. c. 1. ed. Hudson.

(27) I. Regg. IX. 26. II. Chronic. VIII. 17.

(28) „Josephus præ reliquis frequenter usurpat nomen Idumeæ et plerumque ita, ut partem australē terræ Canaan hoc nomine comprehendat, quam inhabitabant Idumæi.“ Reland. descriptio

Praetereo Josephum, qui in enarrando historiam veterem Judaeorum interdum nonnisi commentatoris partes agit, inter gentes, quae incursionibus, Gideone judice, Judaeam devastaverint (29), Arabes quoque recensentem (30).

Neque mihi audiendi sunt, qui de **Arabibus** Semiramidis Sesostrisque imperio obedientibus fabulantur.

Nllus autem dubito, quin in fragmento **Berosi** apud **Eusebium** (31), licet ne tantum quidem fidei nominibus aut annis a **Beroso** commemoratis habeam, veri quidquam appareat. Arabes tempore, nescio quo, finitos et inter eos **Babylonios** quoque imperio suo coercuisse, nihil continet, quod rationi repugnet, quamvis gravate illum corruptissimum mutilumque **Berosum** adeam. De magno autem Arabum imperio ante Davidis Salomonisque tempora vel iis regnantibus ideo non cogitandum erit, quia **Davidi** signa Judaica a mari rubro usque ad Euphratem fluvium proferenti cum **Arabibus** aut amice aut hostiliter conflictandum erat, id quod in historia hujus regis, fusius enarrata, non refertur.

Inter opes, quae ad **Salamonis** aerarium quotannis redibant auri argenteique mentio fit, quod reges **Arabiae** pendere solebant (32). Cum de Ara-

Palastinae I. p. 67. Scriptores veteres ut **Strabonem** XVI. 760. **Nabataeos** Idumoeosque confudisse, non mirandum est.

(29) **Judices** VI. 3. VII. 12.

(30) **Josephus Antiquq.** V. 6.

(31) **Chronic.** ed. Arm. I. p. 40.

(32) **I. Regg.** X. 15. **II. Chronic.** IX. 14.

bibus sub potestatem Judaeorum redactis nunquam antea sermo sit, illud aurum ad dona voluntaria, non autem ad tributa refero, quae pro venia merces per Judaeam transducendi, dabantur. Potenti Josaphato Arabes eodem modo dona obtulerunt (33). Nescio, an iter reginae Sabaeae ab Abulfeda Balkis nominatae (34) cum pacto inter suum Judaeorumque populum componendo cohaerere credam (35). Joram regnante (36) Arabes Aethiopibus adjacentes cum Philistaeis conjuncti saevum in modum Judaeam depopulantur filiosque regios necant. Num Arabes mercenarii Philistaeorum (sicut etiam Psammetichus opera eorum imperium Aegypti sibi comparavit (38)] fuerint, non satis liquet.

Prophetae postquam minas in vicinos populos Palaestinae jactaverunt, regem Babyloniorum Arابum quoque terras direpturum esse canunt (39).

Cum historia Assyriae Babyloniaeque maximam partem perobocura sit, scriptores in enarranda eadem re fluctuant, nescimus, utrum expugnator Hie-

(33) II. Chronic. XVII. 11.

(34) Histor. Anteisl. p. 43.

(35) Josephus. Antiqq. VIII. 6. reginam Aethiopiae Aegyptique fuisse scribit, sed tota apud eum narratio interpretem loquacem, cuius vestigia noster persecutus est, redolet.

(36) Ab anno 889 — 885 a. Chr. n. Petavius de doctrina temp. II. p. 296.

(37) II. Chronic. XXI. 16. XXII. Arabes hic nominantur

וְהַעֲרָכִים אֲשֶׁר עַל־יְד כּוֹיִשׁוֹם

Josephus IX. c. 6.

(38) Diodor. I. 67.

(39) Jesaias XXI. 13 — 17, ubi Arabes Idumeae incolae dicuntur, Jeremias XXV. 23 et 24. IL. 28.

rosolymorum imperio Arabes revera complexus sit, nec ne. Terram eorum expeditionibus Babyloniorum Aegyptiorumque acerrime se infestantium gratia perpessam esse, ultro apparet. **A b u l f e d a** scribit (40): »Postea Nabuchodonosor Arabibus bellum intulit. Plures tribus Arabicae pacem et foedus petentes ad Nabuchodonosorum venerunt, qnos ille comiter excepit et in ripa Euphratis considere jussit, quo loco castra posuerunt, et oppidum condiderunt, quod nomen El Anbar accepit et dum vixit, eodem in loco stationem posuerunt.» Si ille rex Arabibus ad arenae rationem instabilibus novas sedes habitandas dedit, Tigrani posterioribus temporibus idem faciendi exemplum proposuit (41). Iudeis e captivitate reducibus fundamentaque templi jacere incipientibus Arabes una cum aliis populis conjuncti irrisere (42). Num Arabes, dum Iudei absunt, in terram vacuam irruerint et incolis regressis expellendi fuerint, nescimus.

Memoratu dignissima est expeditio Cambysis ad Aegyptum subigendam suscepta, quam **H e r o d o t u s** exhibit (43). Phanes Halicarnassensis regi Persarum dubio incertoque, qua ratione difficultates ipsi desertum peragraturo obvias superare posset, consilia de foedere cum Arabibus ineundo suppeditasse dicitur. Quid? Erantne, quaeso, Persae

(40) Hist. anteis. p. 73.

(41) Plut. Lucull. c. 21. Plin. VI. 28. „Multis gentibus eorum deductis illo Tigrane magno.“

(42) Nehem. II. 19. VI. 1.

(43) Herod. III. 4—10.

geographiae tam ignari, ut Babylone expugnata vi-
cini Arabum facti a Graeco demum quodam de
populo, qui deserta ultra Euphratem sita incolebat,
edocendi essent? Nonne haec de Persarum inscitia
enarratio, ut multa, quae de sceleribus Cambysis in
vulgus feruntur, ex ore sacerdotum Aegyptiorum
Cambysi Persisque iratorum profluxisse videtur, ut
nimirum imperitia eorum perstringatur? Quamvis
in hanc abeam sententiam, neque foedus Cambysis
cum Arabibus ictum neque personam Phanis ideo
prorsus ficta esse crediderim, imo nihil obstat, quo-
minus Persas cum populis, per quos transitus in
Aegyptum patebat, societatem composuisse et Pha-
nem consilia Amasis prodendo auctorem evertendae
Aegypti fuisse, putemus (44). Inter milites a Xerxe
in Graeciam ductos Arabum quoque mentio fit (45),
qui ultima in acie collocati sunt, ne Persarum alien-
narumque nationum equi conspectis camelis conster-
narentur. Arabes quum Herodotus numero tri-
butariornm eximat (46), non subjecti sed socii a
Xerxe in castra ejus adsciti esse videntur, duce
Persico iis praefecto. Societas haec e foedere cum
Cambyse icto haud dubie profecta maxima, qua
potuerunt, fide ab Arabibus observabatur, cum He-
rodotus hanc populo illi virtutem, alias aeterno

(44) Ctesias ab eunupo Combapheo, non autem a Phane
Graeco Aegyptum proditam esse refert. Neque quidquam de foe-
dere cum Arabibus icto commemorat. Cf. Frgmn. Ctesiae apud
Wesselingium pag. 813.

(45) Herod. VII. 69. 78.

(46) Herod. III. 88. 91.

quasi odio in hostes saevienti, insitam fuisse referat (47). Idem scriptor, ubi redditus Darii accurate recenset (48), Arabes magnam thuris vim regi quotannis dedisse scribit (49), Simile quid jam supra de Salomone et Josaphato regibus audivimus. Arabes quaestuosissimi reges vicinos donis sibi conciliare studebant, ne commercia sua, e quibus per pacis tantum tempora multum lucri redundabat, ullo modo interpellarentur. Persis non minus gratum fuisse, Arabes foedere societateque sibi constrictos habere, e taedio, quo Aegyptii rerum novarum cupidissimi imperium Persarum perferebant prodire videtur. Quoties moles bellorum in Aegypto coortorum comprimendae essent, via per Arabiam facienda, aqua commeatusque exercitibus Persicis praebenda erant. His in angustiis Persae amicitiam Arabum quam maxima cura haud dubie retinebant. Nullum equidem apud Diodorum inveni locum, ex quo aliquis demonstrare possit, inter Arabes Persasque controversias unquam exortas esse (50).

(47) Herod. III. 8. Σέβονται δὲ Ἀράβιοι πίστις ἀνθρώπων διαδίκα τοῖς μάλιστα. De ratione qua Herodotus Arabica enarravit, optime disseruit: Heyse de Herodoti vita et itineribus pag. 97 sqq.

(48) III, 90—98.

(49) III. 97. Ἀράβιοι δὲ χίλια τάλαντα ἀγρίνεον λιβανωτοῦ ἀνὰ ταῖς ετοῖς. Plin. XII. 17. Mihi ad Persas etiam prius ista portasse, quam in Syriam aut Aegyptum videntur, Herodoto teste, qui tradit, singula millia talentum annua pensitasse Arabas regibus Persarum.

(50) Sententiae quam protuli obstare videtur, quod Diodori editores XV. c. 2. ἔπειμψε δ' αὐτῷ καὶ δὲ τῶν βαρβάρων βασιλεὺς σορατιώτας emendarunt in δὲ τῶν Αράβων βασιλεύς. Rhodo-

Jam ad illum pervenimus, cuius expeditiones omnium maxime geographiam ethnographiamque veterem ditarunt, **Alexandrum** dico. Victoria Issensi reportata Tyrum Ol. 112, 1 media hieme (51) obsidere cooperat. Quam quum primo impetu capere nequirit, temporis spatium, quo opera obsidioni inservientia comparanda erant, in **Arabes Antilibanum** incolentes (52) subigendos consumpsit (53). Num

mano Palmerio que assentitur Wesselius: Res, de qua agitur haec est. Euagoras rex insulae Cypri per decennium inde ab Ol. 98, 4 — Ol. 101, 1 secundum computationem Isocraticam (Videsis Clintonis fastos Hellenicos ed. Krüger: pag. 291) regi Persarum restiterat. Imprimis Ol. 100, 4 acerrimum Persis bellum exarserat, Euagora magnam copiarum vim comparante. Lecctione Diodorea, regem barbarorum a partibus Euagorae stetisse, corruptius nihil cogitari potest, sed num in illa medela, quam editores loco attulere acquiescendum sit, alia quaestio est. Euagoras illos profecto socios sici conciliavit, qui fortitudinis fama naviumque praestantia ei innotuerant. Nonne autem Arabes vagi parumque certi magis moribus atrocibus rapinisque quam rebus claris metuendi erant? Qua ratione in insulam advenire potuerunt? Arabes Syriae adjacentes camelis in bellis utebantur et Arabes Nabataeos navium multitudine tantum valuisse, ut Euagorae auxilium mittere potuerint, demonstrari non potest. Nihil igitur illa emendatione proficimus. Ne autem frustra viros alias optime meritos attentasse videar, ὁ τῶν Ἀραδίων βασιλεὺς (Aradiorum rex quadraginta sex annis post bellum Cypricum apud Arrianum Exped. Alex. II. 13, commemoratur) propono facili animo illi cessurus, qui me meliora ad hunc locum explicandum adtulerit.

(51) Cf. Clintonis fastt. Hell. pag. 164.

(52) Cur Arabes hunc montem valle longitudinem versus porrecta a Libano disjunctum inhabitandum sibi delegerint, ex Heerenio Tom. I. pag. 713-765 Phoenicum negotia accurate describenti intelligi potest.

(53) Curtius IV. 2, 24 Libanum horum Arabum sedem fuisse scribit. Arrianus II. 20. Plutarchusque Alex. c. 24

Alexander ob milites XXX necatos ira stimulatus eos adortus fuerit, an potius consilium, Tyrios ab omni commeatu, quem Arabes gregibus abundantes haud dubie oppidanis suppeditarunt, intercludendi exsequi voluerit, discerni nequit. Quaecunque autem causa suberat, undecim diebus praeterlapsis nunc vi nunc persuadendo in ditionem Arabes recepit, insigni pietatis exemplo ibi edito. Alexandrum Aegyptum petiturum Gazaei aliquamdiu commorati sunt (54). Hac in urbe Batis dux Persarum ope Arabum haud dubie sociorum conductitorumque fretus Macedonibus acriter restitit. Arabes excursione facta non solum opera Macedonum incenderunt, sed unus eorum ad id audaciae processit, ut Alexandrum ipsum occidere statueret. Gaza diruta Alexander Arabes Aegyptiis adjacentes. i. e. Nabataeos sibi subjecisse videtur, quia iis Cleomenem Naucratensem praefecit (55). Magnam thuris vim victis Nabataeis in manus ejus pervenisse, narratricula de thure navi ad paedagogum remisso, quam Plinius et Plutarchus exhibent (56) demonstrat. Expeditione Indica finita cum Alexander Babylonem copias reduxisset praeter opera magnifica, quae animo volutavit Arabiam felicem, τὴν Ἀραβίαν τὴν πολλήν imperio suo adjicere voluit (57).

montem Antilibanum nominant. Res tota perobscura est Cf. Mannert. VI. 341 seqq.

(54) Curtius IV. 5. 11. Arrian. expedit. II. 25. 26. Strabo XVI. 759.

(55) Arrian. III. 5.

(56) Plin. Hist. nat. XII. 14. Plut. Alex. c. 25.

(57) Strabo XVI. 741. 785. Arrian. VII. 19. Photius

Si quid e Strabone conjicere licet, Alexander regionem Euphrati adjacentem tumque temporis paludibus, quae ob curam fluminis atque inundationum ejus minime habitam (58) coortae erant, obsitam exsiccare voluit, ut exercitus ea parte Arabiam irrumpere posset. Naves autem copiis praeter Euphratis ripas ducendis omnes res, quae ad bellum gerendum necessariae essent, adveharent. Fortasse Alexander Gerrham urbem mare Persicum adtingentem opulentia mercaturaque florentem aggredi in animo habebat. Mors praeitura, qua ille heros oppressus est, Arabiam australem, quae non minus quam India Alexandri expeditione Europaeis reclusa fuisset, caligine eadem, qua antea involvebatur, obduxit.

Cum historiae cursu ad Alexandrum delatus sim, praetermittere non possum, quin locum quen-

biblioth. Tom. I. Nro 91 ed. Bekker. Quid ἡ Ἀραβία ἡ πολὺ ἀπο Arrianum sit, Schmiederus docet. "Non est Arabia magna ex parte, ut vertit Vulcanius, sed Arabia magna respectu ad parvam illam Arabiae partem quae est ad Antilibanum." Ei assentitur recentissimus Arriani editor Ellendtius. Forsitan aliquis Arrianum III. 1. Schmieder oijecerit, ubi Arabia ab Alexander occupata τῆς Ἀραβίας τὰ πολνά nominatur. Hie autem de rumore in immensum aucto, tanquam omnis Arabia jam Macedonis esset, quo Aegypti satrapes Alexandro adpropinquante perculsus fuerit, non autem de vero Alexandri facto sermo est.

(58) Fluvium illum autem maxima cura semper indiguisse ne regio adjacens fluviique altitudinem non excedens stagnis oceuparetur, e Strabone XVI. 740 videmus: χεισία δέ εστιν ύπουργίας μεγάλης. Βαθεῖα γὰρ ἡ γῆ seqq.

dam **Servii** perpaucis explicem (59). Verba ejus sunt: „Molles ideo, quod sub aëre clementiore sunt, aut, quod **Alexander Macedo** dicitur obscenos omnes de exercitu suo segregatos illic condidisse.“ Condere homines contemtim, si casus quartus cum praepositione additur, dictum ut, captivos in vincula, in careerem, in custodiam condere (60), nostro loco de colonia aliquo deducta (61) usurpatum esse potest et **Alexandrum** milites seditiosos senioque confectos in colonias distribuisse, res notissima est. Quia coloniae in terras nonnisi expugnatas mittuntur, Arabes felices autem Macedonibus nunquam paruerunt, doctum **Servium** aut ineptire aut certe falli judicandum esset, nisi locus quidam **Plinii** (62) in promptu esset, quo, **Servium** quodammodo defendi posse, arbitror. Inter Eu-laeum Tigrinque confluentes, **Plinius** refert, urbem Characem fuisse, cui **Alexander Durinis** inutilibusque militum eo deductis suum nomen indiderit. Postea illam urbem ab Antiocho quarto (63) re-

(59) **Servius** ad Virgil. georg. I. 57. „India mittit ebur, molles sua thura Sabaei.

(60) **Livius** XXVI. 24. XXVI. 16. XXXI. 23.

(61) **Servius** ad Virgil. Aeneid. VII. 303.

(62) **Plin.** VI. 27.

(63) Sic legendum esse censeo, quamvis omnes **Plinii** editiones „Antiochus quintus“ exhibeant. **Plinius** enim capite sequenti, Antiochum Epiphanem i. e. quartum, Characem urbem, fortasse, cum Persida divitiarum causa peteret, primo exquisisse narrat. Antiochum autem quintum, cui Eupatoris cognomen erat, puerum biennio post patrem mortuum **Demetrius Seleuci** filius anno 162. a. Chr. n. una cum Lysia, quo duce Eupae-

stitutam Antiochiamque nominatam esse, denique autem Pasinen regem sinitimorum Arabum illius curam egisse aggere flaviis urbem inundare solitis obstructo. Cum Plinio teste hoc oppidum ab Arabibus inhabitatum finis Arabiae felicis fuerit, Servius Plinium fortasse respiciens, jure quodammodo ab Alexandro coloniam in Sabaeos i. e. in Arabiam felicem missam esse dicere potuit. Tum vox „obscoenus“ idem quod Plinii „inutilis“ valuerit. Nescio, quidni Servius causam, cur Sabaei molles vocati fuerint, investigans prima explicatione, quacum Strabonis verba (64): *Διὰ δὲ τὴν ἀγεδονίαν τῶν καρπῶν ἀργοὶ καὶ φάσχυοι τοῖς βίοις εἰσὶν οἱ ἄνθρωποι μίαν quam congruant, contentus fuerit.*

Alexandro mortuo Ptolemaeus praeter Aegyptum Arabiae quoque partem, quam Macedo ditionis suae fecerat, sortitus est (65). Quum Antigonus Ol. 117, 1. anno 312 a Chr. n. Phoenicia Syriaque positus esset, Arabes in manus ejus venerunt. Quos quum minus, quam vellet, favere sibi videret, expeditionem Athenaeo, tum Demetrio duce, qui annum vicesimum secundum egit, adversus eos parat. Diodorus (66) praeclaram ejus rei imaginem, ex qua multum lucrari possumus oculis nostris repraesentat, quamvis, vera falsis immixta esse, non insitiandum sit. Primo cognoscimus, Arabiam

tor cum Judaeis bellaverat (Joseph. Antiqu. XII. 10) sustulit, ita ut de regno ejus proprie non cogitandum sit.

(64) Strabo XVI. 778.

(65) Justin. XIII. 4.

(66) XIX. 94-160. Plut. Demetr. 7.

septentrionalem ut Judaeam ad Syriam tum temporis adnumeratam fuisse Petramque a finibus Iudaeae (i. e. Judaeae meridionalis) MCC et a mari mortuo CCC stadia remotam nondum urbem fuisse, sed receptaculum quoddam monti superstructum, in quod Arabes opes thesaurosque abdere possent (67). Tota hujus loci descriptio populum denotat, qui barbarorum incursiones anxie metuens omnibus, quibus potest, praesidiis se munit. Regiones montuosae autem ubique et omnibus historiae temporibus ad condendas arces urbesque maxime idoneae habebantur. Caput Sabaeorum eodem modo monti imminebat (68), quo illae moles, quae moenia Pellasica vocamus, summis in jugis montium praesumptum conspiciuntur. Nabataeorum, ut ad Diidorum redeamus, parti greges commerciaque, parti agrorum cultura cordi fuisse videtur. Diodori verba
 "Εστι δὲ καὶ ἄλλα γένη τῶν Αράβων, ὡν εἴναι καὶ γεωγεῖ μητρίερα τοῖς φορολογουμένοις etc., nisi forte, ut multa apud hunc scriptorem, otiosa sunt, aliquid continent, quod omnibus ex partibus examinari non minimi momenti est. Arabes bipartiti sunt. Alteri vagis similes vitam agunt p solutiorem, opulentiaque nutriendo greges deportandoque aromata comparata gaudent, quamquam numero reliquis pauciores sunt. Tributariis, qui alteram efficiunt partem, ii commixti sunt, qui agros colunt, moribusque ad Syros proprius accedunt. Haec quum nobiscum reputantur (67) De situ hodierno conferri potest. Ritters Beiträge zur Geschichte der Petrischen Araber. pag. 191.
 (68) Diodor. III. 46. Plin. XII. 14.

mus, nonne illi liberiore vivendi genere usi expugnatores peregrini, hi autem qui tributa solvere coguntur, indigenae habendi sunt? Quis Spartiarum militantium et perioecorum agros colentium, quis patriciorum plebejorumque e Niebuhrii quidem definitione non meminerit? Sententia de discrimine, quod inter Arabes liberos vetigalesque intercedebat, constituta, opinio, Arabes progredientes indigenas Edomitas cum expulisse tum sibi subjecisse, eo magis confirmatur. Animo incerto haesito nescius, num id quod Diodorus de Arabibus domiciliis non utentibus, quamquam agros exercent, narrat, ad ineptias, quibus hic scriptor non ita emunctae naris aliquoties obruitur, an ad fontem, quem noster adiit (69), referam. Eodem modo Diodorus omni paene iudicio derelictus esse videtur, qui Arabes semibarbaros litteras ad Antigonum dantes Antigonumque iis rescribentem nostrarium instar facit.

Athenaeus auditio, Nabataeos ad *ταρπυγαν* celebrandam profectos esse, opportunum tempus sibi obvenisse ratus, receptaculo eorum potiri in animum inducit. Alium locum Diodori, qui naturam illius conventus melius explicat, adferre volumus (70). Garyn-

(69) Diodorus successorum Alexandri historiam maximam partem ex Hieronymo Cardiano hausit, de quo conferri possunt Vossius de historicis Graecis pag. 66, Mannerius Geschichte der Nachfolger Alexanders p. 352 et qui super dissertationem „de fontibus veterum auctorum in enarrandis expeditionibus Gallicis in Macedoniam atque Graeciam susceptis“ scripsit, amicissimus mihi Schmidtius pag. 25 sqq.

(70) Lib. III. c. 42.

danei Maranorum sedes prope sinum Arabicum infra Nabataeos olim sitas occupaverunt, quum incolae conventus celebrandi causa domicilia reliquissent (71). Conventus hi quinto quoque anno redibant vel πενταετηριοι erant Deosque colendos non minus quam merces permutandas frequentiam hominum illam in regionem conduxisse, e locis duobus Diodori inter se comparatis intelligi licet. Tempa asyla erant Deorumque tutelae tum, cum jura gentium minime valebant, omnia commercia committi solebant. Oraculum Jovis Ammonici, quod laedere sumnum nefas habebatur, praeter supplices divinoque consilio egentes etiam mercatores e remotissimis terris congregabat (72). Sic e religione veterum non solum artes, quibus vita exornatur, profectae sunt, sed etiam, id quod novum inauditumque nobis videtur, tota coniunctio populorum, origo primariaque causa omnis humanitatis, a Deorum cultu repetenda est.

Gravem vindictam Nabataei e conventu reduces ab Athenaeo exegerunt, qua re Antigonus exacerbatus filium Demetrium cum manu expedita victores aggredi jubet. Arabes verbis Antigoni parum confisi speculatores editioribus in locis collocaverant facibus praeditos. Hoc eo consilio factum erat, ut hostibus adventantibus, alter alteri taeda ἐξ διαδοχῆς incensa rem nunciare posset. Id saltem genus telephorum, quos vocant, apud multos populos ve-

(71) A Strabone XVI. 776 eandem historiam succinctius referenti Γαριδαιοι et Μαρανιται nominantur.

(72) Heerens Ideen zur Politik etc. II. pag. 235.

teres obvium (73) et ab omni hominum petulantia tum nebulis, quod hodie interdum aegre fertur, minime obnoxium erat. Nabataei nuncio de adventu Demetrii accepto fortiter se defendunt et Rhodi expugnator infecta re receptui canere cogitur. Nabataeos Antigoni temporibus jam in ora maris mortui positos paullatim Palaestinae orientalis partem occupantes videamus. Moabitarum Ammonitarumque gentes, quibus urbes Judaeorum trans Jordanum sitae propugnacula fuisse videntur, a Nabataeis vincuntur nominaque subactorum apud scriptores non jam occurunt (74). Numerus non ita parvus oppidorum Arabicorum natura manuque munitorum a Josepho commemoratur. Tota regio inde a mari rubro usque ad Κοιλην Συρίαν, excepta Iudea Samaria et Galilaea, Arabum erat, qui pro alacritate ignaviave regum Syriacorum aut imperio eorum coercebantur aut suis parebant regibus. Quum post pugnam ad Ipsum oppidum Ol. 119, 4 Seleucus et Lysimachus terras Antigoni sortirentur, illi Arabiae quoque partes obvenerunt, quia Appianus Seleucum Arabibus imperantem facit (75). Monumentum Adulitanum Ptolemaeum Euergeten a Lencecome usque ad terram Sabaeorum progressum omnes felicis Ara-

(73) Cf. Aeschyl. Agamem. vs. 292 seqq. ed. Schütz, Suidas sub voce ἄγγελος. Aeschylus nomen remque a Persis in fabulam hanc Ol. 80, 2 (cf. Boeckhius de prince, tragg. p. 54) doctam transtulerat.

(74) Manners Geog. der Griechen und Römer. IV. 187.

(75) Syriac. 58.

biae populos sibi subjecisse narrat (76). Hanc igitur expeditionem primam dixerim, quae unquam in Arabia felicem suscepta est. Seleucidas colonias nonnullas in Arabia felici condidisse, e nominum similitudine conjicio. Apud Plinium enim Arethusa Chaleis et Larissa urbes Graecae in Arabia nominantur (77). Eadem autem urbium nomina in Syria quoque occurunt (78). Quinam Seleucidarum auctor coloniarum in Arabia sitarum, quas Plinius aevi jam dirutas videmus, habendus sit, nescimus. Fortasse aliquis originem earum ad Antiochum Magnum reduxerit. Antiochus hic secunda cum fortuna conflictatus ab Arabibus Ituraeis et Syriacis se suaque imperio ejus submittentibus adjutus Ol. 140, 2 Arabes in ripis Hieromacis fluvii non procul a Tiberiade lacu habitantes coercuit urbibus Gadara, Abila et Rabbatamana captis. Imprimis Rabbatamana urbs, quo in nomine Schweighäusero Ammonitarum nomen latere videtur, loci indole firmissima Antiocho multas obtulit difficultates et oppidani summum ad discrimen adacti viis subterraneis et

(76) Fabricius biblioth. Tom. II. p. 608 (Edit. Hamburg. 1728).

(77) Plin. VI. 28. Paullo supra Ampelone (a vinetis, ut codd. Gelenii opponunt) Milesiorum Colonia nominatur. De consuetudine Milesiorum, domus mercatorias secundas (Faktoreien, Comptoirs) e quibus coloniae paullatim exortae sunt, in remotissimis adeo regionibus condendi, egregia Rambachii dissertatio „De Mileto atque ejus coloniis“ pag. 24 conferri potest, quamquam nulla Ampelones ibi ratio habentur. Harduinus hauc urbem eandem ac Ampen esse vult.

(78) Strabo XVI. 753. Mela p. 460. 461. 476.

Bibliothek der
Deutschen
Morgenländischen
Gesellschaft

euniculis effugere studuerunt (79). Spes evadendi irrita cecidit et Antiocho omnes se subjecerunt. Anno insequenti Ol. 140,3 acre inter Aegyptios Syrosque proelium committitur, cui Arabes Zabdielo duce Antiochum secuti interfuerunt (80). In conspectum Romanorum Arabes primo, quoad scio, in pugna ad Magnesiam pervenerunt (81). Camelis insidentes gladiisque perlóngis instructi ab Antiocho ante equitatum collocati sunt. Quam Alexander frustra paraverat in Gerrhaeos expeditionem, eam Antiochus perpetravit. Jacturam decimi tertii libri Polybii, quo hoc Antiochi iter enarratum erat, valde conquerimur. E fragmentis, quae Stephanus Byzantinus sub vocibus Χαττηνία, Δάβαι et Suidas in σταχτί et αἰσθοῦσι nobis conservarunt, navibus illam expeditionem factam esse Antiochumque mira comitate atque humanitate erga Gerrhaeos usum dona non exigua accepisse, discimus. Tum Antiochum cum Gerrhaeis foedus icturum interpretum ope indigentem videmus. Syros Antiocho duce ora maris Persici potitos fuisse, narratio de Númenio promontorio Naumachaeorum praeposito declarat (82).

Quando Nabataeorum imperium tantam sui famam sit nactum, ut finitimis terrori fuerit, saepe diuque jactata est quaestio. Hanc quaestionem non absimilem illi alteri esse: Possimusne, si minus annum, temporis saltem spatiū investigare, quo

(79) Polyb. V. 71. Joseph. Antiqq. XII. 3.

(80) Polyb. V. 79. 82. 85.

(81) Livius XXXVII. 39. Appian. Syriac. c. 32.

(82) Plin. VI. 28. Mannert VI, p. 144. (83)

civitatum, quibus Arabia circumdatur, vires tam afflitaes fuerint, ut gens, antea vixdum nota, ad potestatem non contemnendam efferri potuerit, nemo non videt. Aegyptus post Ptolemaei Euergetae obitum aut regibus parricidiis libidinibusque pollutis serviebat aut tutorum suam rem magis quam patriae communis salutem respicientium praeda erat. Factions huc illuc civium iras studiaque trahiebant Romanisque terram hanc bonis omnibus resertam sibi comparando intentissimis exoptatam intercedendi ansam offerebant. Quo taedio rerum Aegyptiarum perserutator jure afficitur, eodem animus historiam Syriacam intuentis permovetur. Pax Antiocho Magno a Romanis concessa omnes incolis opes extorserat successoresque avaritia sordida crudelitateque infames odium subjectorum sibi conflaverunt. Hinc seditiones, bellaque civilia exorta sunt. Judaei, quorum legibus Syri impii insultaverant, Macchabaeis ducibus justa ira stimulati ingentes (mirabile dictu) exercitus parva manu contriverunt. Huc accedebat, quod Parthi, quibus Romani ipsi imparés postea erant, magnas Syrorum clades ediderunt. Sic Syria quoque in dies immunita impedire non potuit, quominus Arabes altera ex parte progredientes imperium satis firmum sibi compararent. Quodsi incrementa populi alicujus, ut in historia saepissime usu venit, e statu infracto debilique vicinorum repetere volumus, initia magni regni Petraeorum, quorum ad potentiam multa jam antea contulerant, in periodo, quae Antiochi Magni mortem excipit, posuerim. Judaei soli, quo tem-

pore sub Asmonaeis miro animi vigore correpti erant, Arabibus, cum quod neque Aegyptii neque Syri ausi sunt, acriter obstiterant. Per septennium Ol. 148, 1—Ol. 150 Josephus Hyrcani filius quotidianis certaminibus cum Arabibus congregriebatur, bellique spectaculo in terram eorum compulso in Essebonitide (Amorrhitarum olim sede (83)) castellum munitissimum exstruxit, donec Antiochum Epiphanem Arabes vexatos non neglecturum esse ratus manum sibi ipse inferret (84). Judas Macchabaeus Nabataeis opem fert contra Timotheum et hoc in certamine Arabes Arabibus oppositos videmus (85). Jonathas et Alexander Jannaeus castra Arabibus opponunt, ille septentrionalibus prope Damascum sitis, hic australibus, qui lacus Tiberiadis Asphaltiaeque accolae urbes firmissimas obtinuerunt (86). Hoc tempore multos regulos dynastasque Arabicos conspicimus. Ut omittam, Syriam fere totam dynastis peregrinis subditam fuisse, Arabes sibi non temperavisse, quin reges Syrorum ad arbitrium protegerent tollerentve (ut Zabelus aut Zabdielus Alexandri Balae interfector sub Ol. 158, Malchus, Zizus (87) demonstrant), ut taceam, Aretam quendam, natione haud dubie Arabem, post Antiochi XII mortem Damasci regnum adeptum esse (88), in

(83) Mannert VI. p. 180.

(84) Joseph. Antiqq. XII. 4.

(85) Antiqq. XII. 8.

(86) Antiqq. XIII. 5. 13. 14. XIV. 1. I. Macchab. XI. 17.

(87) Antiqq. XIII. 4. 5. 14.

(88) Antiqq. XIII. 15.

Gaulonitide domum Zenodori, in Galaatide et Batanaea Obedam et Zenonem, Zenodori filium, Arabibus imperantes invenimus (89). Hos antem et terrarum amplitudine et rerum copia rex Petrae urbis longe superavit, qui solus postea nobis respiendiendus erit.

Bellum Mithridaticum populos, ne fama quidem antea notos, Romanis objecisse et omnium expeditionum post Alexandri mortem in Orientem factarum vel maxime finibus geographiae ethnographiaeque populorum Asiaticorum proferendis inseruisse, res est, de qua omnes hodie consentiunt. Arabes quoque in illa gentium colluvie commemorantur, quippe qui a Tigranis partibus modo stererint, modo, societatem cum Romanis compositam magis e re sua fore rati, ab illo desciverint. Arabes Syriam regionesque prope Euphratem incolentes fallaces, perfidi, rapinarumque studiosissimi, insidiis magis quam justis pugnis hostes lacessentes a rerum scriptoribus depinguntur. Crassi foeda clades, non dissimilis cladi Varianae, maximam partem Arabum malignitati dolisque adtribuenda est (89).

Sed redeamus ad Arabes Petracos, quorum regis obiter jam mentio facta est. Aretas rex eorum terras vicinas crebris incursionibus carpendo post mortem Alexandri Jannaei Ol. 176, 1 magnum imperium sibi comparaverat (90). Tum Hyrcano ad-

(89) Cff. Plut. Crass. c. 21, 22, 28, 29 edit. Reisk. et qui ab interpp. laudantur rerum scriptores.

(90) Justin. XXXIX. 5. Gronovius ad h. l. „Non dubito, quin hic (Erotimus) sit Aretas, ut ab aliis vocatur.“ Dum viro

versus fratrem Aristobulum, e controversiis horum, magnum se fructum percepturum esse arbitratus, auxilium promiserat et fore, ut XII urbes, quas Alexander Jannaeus Arabibus eripuerat, recuperet, sperans, cum quinquaginta millibus militum Hierosolyma, quam in urbem Aristobolus se receperat, profectus est. Scaurus autem, quem Pompejus in Syriam delegaverat, Aristobulum obsidione liberat et Aretas Hierosolymis decedere cogit. Pompejus res Judaeorum compositurus, terram eorum ingreditur. Aretas non solum querelas fratrum dijudicandas Pompejo cordi esse, sed se quoque ob injurias Syriae illatas a Romanis peti certior factus, terrore perculsus se suaqne auspiciis victoris submittit. Jam Pompejus ad Hierichunta usque progressus erat, enī laetissimo de Mithridatis morte nuncio accepto Aretam Arabesque missos facit, exercitu Hierosolyma ducto (91). **Josebus Dio et Plutarchus Pompejum Petram cepisse negant, id quod Orosius, cuius testimonium hoc in loco respondendum esse censeo, confirmat.**

doctissimo assentior per pauca addere mihi liceat. Erotimus nō men Graecam originem refert, ita ut Justinum vel Trogum vocem Arabicā in Graecam, quae similem significationem habet, commutasse credere possis. Arabibus eandem ac Persis, reges nominibus e gloria honoribus petitis insigniendi consuetudinem fuisse, nomen **Malchus** (מלך rex) testatur. Fortasse aliquis nomen Areta Persicae voci Arta in Artaxerxes, Artabazus, Artaxata, Artavasdes et aliis simile esse dixerit.

(91) **Antiqq. XIV. 3. 4. Bell. Judaic I. 5. 6. Florus IV. 5. Plutarch. Pompej. c. 41. Dio Cass. ed. Reimār. p. 120. Orosius VI. 6.**

Scauro, dum Pompejus Romae versatur, Syriam administrandi munus injungitur, qui Aretae bellum infert diuque agros ejus depopulatur, donec Aretas, magno anri pondere dato, pacem redimetur (92). Nummuli duo exstant in memoriam hujus rei excusi (93). Bella civilia non sine Arabum auxiliis gesta sunt. In pugna ad Pharsalum Arabes a Pompeji partibus stant. Equites Caesar Alexandriam profecturus Malcho regi Nabataeorum imperat et sagittarii Arabici equis iusidentes Brutum Cassiumque in pugna Philippensi adjuvant (94).

Biennio praeterlapso a. 40. a. Ch. Herodes, Antipatri Idumaei filius, insidiis, quas Antigonus Aristobuli filius ei struxerat, undique circumdatus, Malchi, regis Arabum, amicitiae, qua Antipater animos Arabum sibi devinxerat, immemoris, fidem frustra implorat Romamque se confert (95). Malchum hunc Aretae Petraci, cuius amicitia Antipater imprimis gavisus est (96), successorem esse, autumo. Herodes gratia Antonii sibi comparata in Judaeam reddit, cuius pacatae regionem, circa Hierichunta sitam, Antonius Cleopatrae dono dat Arabiae Phoenicesque partibus aliquot additis (97). Quid Plutarchi verba

(92) Antiqu. XIV. 4. Bell. Judaic. I. c. 8.

(93) Josephi edit. Havercamp. In Praefatione hi nummuli sub Nro 12 et 13 inveniuntur.

(94) Appian. Bell. Civil. II. 71. IV. 38. Bell. Alexand. c. 1.

(95) Antiqu. XIV. 14, Bell. Judaic, I. 14.

(96) Antiqu. XIV. 1. 7.

(97) Antiqu. XV. 4. Bell. Judaic. I. 18. Dio Cass. XLIX. pag. 593. Plut. Anton. 36.

„καὶ ἀροστιδησι καὶ τῆς Ναβαταίων Ἀραβίας, ὅση πρὸς τὴν ἐπός δάλασσαν ἀποκλίνει“ sibi velint, fortasse aliquis quaerat. Nisi Plutarchum sinum Arabicum et mare mediterraneum sic distinxisse judicare volumus, ut illum τὴν ἐπός δάλασσαν hoc τὴν ἐπός δάλασσαν dixerit, ἢ ἐπός δάλασσα in ἣ ἐπός δάλασσα mutandum erit, quia illam partem Arabiae Nabataee Aegypto adjectam esse, quae mare mediterraneum adtingit, Plutarchi sententia est.

Malchus et Herodes Cleopatrae tributarii facti sub tempus pugnae Actiacae non minus ob odium, quo Herodes ob auxilium ipsi denegatum in illum flagraverat, quam ob malam fidem Arabis in solvendo tributo, Cleopatra iras utriusque foente, se infestarunt, id quod causa erat, ut ipsi pugnae Actiacae, in quam Arabes Syriaci Jamblico duce profecti erant, non interessent (98).

Virgilius licentia illa, quam vocamus poetam, excusari potest, quod Sabaeos i. e. Arabiae felicis incolas pugnae Actiacae participes (99) fecerit, id quod in Florum rhetorice magis quam historice de naufragiis spoliisque Sabaeorum, quibus litora obsita fuerint, loquentem non cadit. Dum pugna Actiaca Romanos Romanis objicit, Herodes Arabes varia dimicaverunt fortuna, donec Judaei

(98) Antiqu. XV. 5. Bell. Judaic. I. 19. Dio Cass. L. pag. 614. Plut. Anton. 61.

(99) Aen. VIII. 706.

(100) Florus IV. 11.

peropportune ab Herode admoniti animis receptis hostes aggredenterur victoresque decederent (101).

Per septennium jam totus terrarum orbis Cae-sari Octaviano parebat, jam pax exoptatissima in-fortunia bellorum civilium resarcire incipiebat, cum Aelius Gallus, tertius Aegypti provinciae praefectus, a. 730. u. c. Augusto decimum et Cajo Norbano coss. expeditionem in Arabiam felicem subit. Hanc nobis Strabo Plinius et Dio Cassius tradide-runt (102). Illius testimonium quum, ad quamcun-que geographiae veteris partem accingeris, gravissi-mum sit, Arabica exponentis eo majoris momenti est, quod praeter scriptorum temporum injuria de-perditorum de Arabia relata res ab Athenodoro philosopho (103) et Aelio Gallo ipsi amicissimis (104) enarratas nobiscum communicat. Plinius priores scriptores maximam partem secutus multa et e Ju-bae libris hac de expeditione petita et a negotiato-ribus Romanis et legatis Arabicis enarrata addit, ita ut nunc corrigentis nunc supplentis partes sibi poposcisse videatur. Dionis hujus expeditionis enaratio hanc ob rem minine negligenda est, quod, quo remotius aevum ejus a temporibus Augusti abest, eo liberius illam exponendi potestatem habet, cum

(101) Antiq. XV. 5. Bell. Judaic. I. 19.

(102) Strabo XVI. 780 — 782. Plinius VI. 28. Dio Cas-sius LIII. pag. 724.

(103) De vita Athenodori Tarsensis conferri potest Fabri-cius biblioth. Lib. III. c. 15. p. 391.

(104) Strabo II. 118. Ἡς (sc. στρατιᾶς) ὡγεῖτο ἀνὴρ φί-λος ἡμῖν καὶ ἐταῖρος Αἰλιος Γαλλος.

Strabo omnem culpam rei male cedentis ad Arabinum dolos machinantem transferens nimio erga amicum studio ductus esse videatur. Inter poetas, quorum scripta exstant, Virgilius (105), Properius (106) et Horatius (107) hanc rem commemorant. Minime dubius sum, quin Appianus libro vicesimo quarto, cui Ἀραβικῶν nomen inscriptum erat (108), etiam Augusti expeditionem tractaverit. Praeterea apud Tzetzen (109) Uranii alicujus Arabica commemorantur. Stephanus Byzantinus ejusdem scriptoris plus quam vicies laudati quintum librum τῶν Ἀραβικῶν sub voce Μωσώ nominat. Cujus de vita et scriptis quum nihil certi habeam, neque num idem sit, qui Uranius Syrus a Suida nominatur, satis sciam, quaestionem, quatenus bellum Arabicum Augusti complexus sit, missam facio. Idem de Glauco, eujus archaeologia Arabica apud

(105) Aeneid. VII. 605.

(106) Elegg. III. 1. 16. V. 6. 81. edit. Lachm.

(107) I. Carmm. XXIX. 1. XXXV. 31. et 40. Ex his duobus locis unusquisque luce apertius videt, Bentleii sententiae, quae primum odarum Horatianarum librum ad annos DCCXXV, DCCXXVI et DCCXXVII u. c. refert, multa opposita esse. Tota igitur computatio carminum Horatii denuo retractata nemini philologorum opprobrium illud tritum et decantatum, tanquam iudicera auctoribus, inflixerit.

Nescio, quid scholia nec non Cruquii commentatorem adduxerit, ut in explicando versu 32. carm. XXXV de occidente et oriente sibi oppositis cogitaverint. Melius et geographiae veterum aptius Horatii recentiores editores hac de re disseruerunt.

(108) Photii biblioth. Nro 57. et Anonymus in vita Appiani. Cf. Schweighäuserum ad App. Tom. III. pag. 896.

(109) Tzetzes Chil. VII. 739.

Stephanum non raro occurrit et de Ulpiano sub voce *Tāirroi* dicendum est. Omnia, quas Romani unquam suscepere, expeditionum proprium est, quod iis de vita publica privataque deque institutis populorum peregrinorum parum edocemur. Opinione, suos mores esse praestantissimos, capti bellisque atrocibus adsueti aliorum populorum, qualiscunque litterarum artiumque status apud eos fuit, ne minimam quidem egerunt curam. Hinc spissam illam caliginem, qua res Etruscae obvolvuntur, repetitive-ris. Quid, quod de Carthaginiensium institutis Graeci scriptores potius quam Romani adeundi sunt? Quamvis aevo Augusto, Julio Caesare imprimis prae-eunte, illa *ἀναισθησία* studio, remotissima quaeque cognoscendi, sensim cesserit, Romana indoles mire quam sibi constitit. Alexandrum Indianum subactrum magnus doctorum physicesque peritorum numerus comitatus est. Aelium quenquam eruditione insignem vel naturae perscrutatorem secutum esse, non traditum est. Augusto ipsi cognitio terrae illius minus cordi fuisse videtur, quam cupidus, ditissimis post Indos hominibus imperio suo additis, aerarium reficiendi, licet Strabo hoc consilium Augusto non sane dignissimum celare studeat. Aegyptus autem illis temporibus eodem modo, quo postea usque ad viam maritimam in Indianum detectam vinculum inter commercia Indica Arabicaque et Europea intercedens erat terramque hanc Arabiam Indianaque expugnaturis per opportunam esse, Augusti expeditio aequa ac recentissima Francogallorum expeditio declarat.

Aelius Gallus ex ordine equestri orinndus, tertius Aegypti in provinciae formam redactae praefectus (110) decem millia militum in Arabiam deduxit. Militum horum pars Romani, pars socii Nabataei et Judaei erant. Arabiae Petraeae rex Obodas dicitur, quem Mannertus sponte Romanos secutum facit, (111) ut nimirum poenas ab aliquot gentibus Arabicis sumeret. Qui totam Arabum cum Romanis rationem animo perpendit, Mannerto assentiri nequit. Arabes Petraei, ut Judaei, subditi a Romanis habitu non solum tributa quotannis Romanam conferebant (112), sed etiam omnium controversiarum arbitros Romanos faciebant (113), ita ut de voluntariis auxiliis non cogitandum sit. Obo das Malchi (114), de quo supra dictum est, successor, tardus ignavusque indole (115) mollique vivendi generi indulgentissimus, omnem potestatem

(110) Strabo XVI. 819.

(111) VI. pag. 113.

(112) Antiqq. XV. 4.

(113) Antiqq. XVI. 9. 10.

(114) Malchum hunc crudelitate intemperantiaque Cleopatrae interfectum esse, a nemine nisi a Josepho (Bell. Judaic. I. 23.) prohibetur. Quum Malchus autem, dum pugna Artiaca committitur, rex Arabiae conspiciatur (Antqq. XV. 5. bell. Judaic. I. 19), Cleopatrae autem auctoritas post illam fugam turpissimam tam imminuta esset, ut Nabataei impunes classem ejus in mari rubro exstructam comburere auderent (Dio Cass. LI. pag. 637.), Jamblichum, quem tormentis ab Antonio necatum esse Dio LI. pag. 618 refert, non autem Malchum apud Josephum, nisi forte hunc ineptissime sibi contradixisse statuimus, illo loco legendum esse propono.

(115) Praeter Strabonem Antiqq. XVI. 8. conferri possunt.

procuratori (*ἰστιτρόχῳ*) Syllaeo, homini artium malorum studiosissimo, commiserat. Qui quum imperium, quounque modo, nemini subjectum sibi conquirendi consilia cepisset, Nicolai Damasceni indicio in angustias compulsus regisque beneficio interrenti convictus Augusto irato supplicium facinorum postremo dedit (116). Syllaeus fallacissimus Romanis viae ducem se praebet. Primo auctor fuit, ut Aelius navium longarum classem reficiendam curaret. Arabs ille, sinum Arabicum scopulis submarinis coralliorum opera exstructis (*Korallenriffe*) refertissimum (117) fluxuque ac refluxu navibus longis perniciosum esse, optime gnarus, omnes Romanos undis obrui voluit. Cum nullus longarum navium usus appareret, Gallus milites onerariis Λευκὴν αώμην (118) trajici jussit. Arabem callidum impedivisse verisimile est, quominus exercitus Romanorum patriam suam commeatu, qui illi praebendus fuisset, si itinere pedestri per Nabataeorum terram copias duxisset, exhaustiret. Obodae regnum hunc fere in modum patuisse videtur. Septentriōnem versus Philadelphia urbs et Jabboc fluvius fines erant. Egra urbs, unde exercitus redux undecim diebus Μυοὶς ὄρμον trajectus est, prope sinum

(116) Antiqq. XVI. 9. 10.

(117) Niebuhr's Reise nach Arabien I. Theil, pag. 259, 265, 269.

(118) Λευκὴ αώμη nomen Graecum pro Arabico Αύαρα esse, e Stephano Byzantino conjicito, qui, id nomen Syrorum et Arabum lingua colorem album expressisse, testatur. Procul dubio Hebraeorum

רְגָב (albus fieri, pallidum esse) ejusdem originis est.

Arabicum sita ad Obodae regnum pertinuisse traditur. Spatio octo itinerum Egra et Μυός ὁρμος, quia latitudo sinus Arabici illo loco iter triduum efficiens subtrahenda est, distabant (119). Sic Egra aliquanto australior est quam Leucecome. Ullam urbem autem Obodae plus ad meridiem spectavisse quam Egram, non inveni. Quum Syllaei, Romanos ab urbibus Nabataeorum arceri, plurimum interesset, iter, Leucecome relicta, orientem versus direxisse videtur. Veteris geographiae perscrutatori id ante omnia molestissimum est, quod nomina apud scriptores geographicos obvia, ne dicam remotae Arabiae, sed ne Italiae quidem, certa gaudent auctoritate, cum aliis in codicibus aliter legantur. Quid, quod studia critica, quae hucusque in Plinio restituendo collocata sunt, ne tantum quidem profecerunt, ut Plinii finis desideraretur (120)? Geographia veterum, antequam Plinio et Straboni melius consultum erit, fundamento satis certo nunquam nitetur. Ad textum male exaratum scriptorum geographorum illud accedit, quod veteres ad suarum linguarum idiotismum nomina peregrina adaptandi studiosissimi cum illa nomina mutilaverunt, tum, similitudine aliqua investigata, vecordes illas narratiunculas sibi fixerunt. Attamen Plinio maiorem hac in re fidem quam aliis habendam esse, dixerim. Si Plinii Arabica consideramus, multae occurunt voces, quae typum vere Semiticum

(119) Periplus pag. II.

(120) Allgemeine Litteratur-Zeitung. May 1834. Nro 91.

prae se ferunt (121) Nominum non paucorum idem scriptor versionem Latinam dedit (122). Ubi scriptores ante eum insanum in modum fabulantur, verbis: „ut existimant, putatur, putant“ critice quasi adpositis indicat, se illorum gregem non sequi.

Confusa perobscuraque Arabicae expeditionis enarratio, regioque mundi, im quam Aelius se convertit, non commemorata, quam fortasse aliquis Straboni non minus quam Plinio objecerit, Romanorum inscitiae tarditatique attribuenda est, qui astronomicis observationibus neglectis ab Arabe per semestre tempus ludibrio facti sunt. Quousque Romanorum exercitus sit progressus, parum liquet, quum Strabo urbem Marsyaba, Plinius Caripeta et Dio Athlula expeditiouis finem fuisse tradiderint. Mannertus hanc in sententiam fere ratiocinatur: Strabonis Rhamnitae Chatramitae sunt, nomen Marsyaba e Mariaba corruptum et Ilasarus ex Eleazo, quem Peripli auctor regem Chatramitarum nominat, mutilatus est. Huc accedit, quod Romanos a terra thurifera biduo tantum abfuisse, Strabo narravit. Ergo Romani usque ad extremas regiones Arabiae pervenerunt. Praeterquam, quod lectionem ad arbitrium commutando aliquis non immeritam contra se ipsum suspicionem excitat, mirandum est, quod Strabo, cui nomen Mariaba non inauditum erat (123),

(121) Ne multus sim, voces Baramalaeum et Negra in medium propono, in quibus בָּאֵר מִלְכִים (puteus regum) et נֶגֶר (fluere) latere videtur.

(122) E. g. significaciones nominum Riphearma, Emischabales (?) Cauranari et Mariaba adscripsit.

(123) Strabo XVI. 768. 778.

hoc potissimum loco lapsus sit. Nomen Ilasari Semitiae originis, quum apud Arabes tum apud Iudeos obvium (124) ad Chatramitas solos referre, idem est, ac si quis audito nomine Aretae, Syriaci vel nomadici alicujus reguli, illum regem Nabataeorum fuisse credere voluerit, quod nimirum hoc nomen apud Nabataeos invenerit. Auctor Peripli, cujns testimonium, quippe qui, ut arbitrantur, CLXXX fere annis post expeditionem nostram vixerit (125), nobis de Augusto loquentibus non multum facit, regem Eleazum in ipsa thurifera regione habitasse, non autem spatio biduo ab Ἀρωματοφόρῳ abfuisse refert (126). Sic tota, Mannerti ratiocinatio corruit, et tantum abest, ut, Romanos ad mare Indicum pervenisse, putem, ut, ne terras quidem Sabaeorum et Minaeorum vidisse, credam. Plinius enim, exploratorum ope Gallum de his populis certiores factum esse, dicit. Tristissimum exitum, morbis non minus quam Arabibus in Romanos saevientibus, haec expeditio lucri tantum studio suscepta habuit. Num autem Augustus e Propertii facete adulantis verbis (127):

Sive aliquid pharetris Augustus parcat Eoīs,
Differat in pueros ista tropaea suos
solationum foedae hujus cladis perceperit, nescio. —

(124) Numeri II. 10. VII. 30. אלֵיכָר (Deus auxilium meum).

(125) Dodwell de aetate Peripli maris Erythraei. Geogr. minor. Tom. I. pag. 88.

(126) Periplus pag. 15.

(127) Elegg. V. 6. 81. Edit. Laehm.

VITAE CURRICULUM.

Anno XIII hujus saeculi die XVI. ante *Cal. Jul. Schwetziae*, qui vicus Vistulam adtingens inter Grudentiam Culmiamque situs est, natus sum. Ad septimum usque annum privata patris optimi et carissimi institutione imbutus gymnasium, quod Brunsbergae est, adii. Tum temporis *Schmüllingii* auspiciis schola haec submissa erat, cujns eruditio, non minor quam pietas humanitasque, insigne discipulis aemulationis exemplum proposuit. Unicum solatum juventuti *Schmüllingium* discedentem vehementer desideranti oblatum est, quod eun-

dem virum provinciam ampliorem patentioresque subeuntem vidimus, quodque successor eadem doctrinae copia exornatus parique comitate praeditus, *Gerlachium* dico, nobis relictus est. His duobus viris aequa ac omnibus gymnasii Brunsbergensis praeceptoribus dilectissimis maximas ex intimo corde gratias refero. Anno MDCCCXXX testimonio primi ordinis dimissus sedem litterariam, quae Berolini est, petii, *Hegelio* illustrissimo Universitatis almae Rectore Magnifico. In philosophorum ordinem Decanus illustris *Toelken* me retulit. Per septem semestres scholas philologicas *Boeckhii*, *Boppii*, *Lachmanni*, *Zumptii*, *Heysi*, *Pottii*, frequentavi. In philosophia me excoluere *Hegel*, *Schleiermacher*, *Michelet*, ab *Henning* et *Stuhr*. Historiam, geographiam, chronologiam, statisticen et oeconomiam politicam *Hoffmann*, *Ideler*, de *Raumer*, *Steffens*, et *Helwing* me docuerunt. *Boeckhio* cum alia perplurima debeo, tum locum in Seminario Regio philologico, cuius

exercitationibus per triennium inferfui ipso
*Lachmanno*que ducibus. **Omnium** horum prae-
ceptorum, qui novis ex illo scientiarum lae-
tissimo fonte ideis novos juvenili menti sub-
didere stimulos, memoriam ad ultimum usque
spiritum pie grataeque retinebo.

Scribebam Berolini die XII. mensis No-
vembris MDCCCXXXIV.

THESES.

I. Idea libertatis in fide Christiana sola posita est.

II. Liberae, quoe vocantur respublicae, despotiae multorum.

III. Nihil invenio in doctrina Spinozae, quod orientem sapiat.

IV. Philologiam philosophiam ante philosophiam nobis esse, arbitror.

V. Chryse, cuius nomen in Philocteta Sophoclis legitur, nulla alia Dea, nisi Artemis esse potest, licet Tzetzes ad Lycophr. 911 et Scholiastes ad Il. β. 725 mihi oppositi sint.

VI. Ludos saeculares Romanorum primo Punico bello a. DVIII. u. c. celebrari coepitos esse, contendeo.

VII. Vocem »filius» nomen appellativum esse, nego.

VIII. Formationes linguarum vetustissimarum hodiernis longiores suisce, e lingua Theotisca non minus quam ex Sanscrita demonstrari potest.

IX. Participium praesens passivi linguae Latinae non ignotum.

X. Carminis, cui Aetnae nomen inscribitur, auctor Ovidium refutandum sibi proposuit.

XI. Vss. 260 — 270, 776 — 779, 1031 — 1035, 1437 — 1440 Philoctetae Sophoclei (edit. Buttm.) minime adtentandos esse, censeo.

XII. Herodoti pietas in enarrandis Aegyptiacis nobis magis obfuit, quam profuit.

D Nc 780

ULB Halle
000 865 397

3/1



